Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput trigesimum octavum. Sermonum Jesu vis & efficacia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Visual Library

ejus, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

I. SEPTUAGESIMUM ſeptimum Pſalmum ab antecedente haudquaquam disjungendum eſſe Judæi quidam tradiderunt. Atqui præcedens ille Pſalmus, juxta Midraſch Pſalmorum, querimonia eſt Iſraëliticæ gentis Sponſæ ad Deum Sponſum; quorum uterque in Cantico Canticorum exhibetur. Sponſum vero hunc, Meſſiam eſſe fatentur iidem Ebræi; proindeque conſequens eſt eam ϖεοχλὼ, quam ex ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo hic affert Matthæus, totumque adeo Pſalmum, juxta Ebræorum doctrinam ad Meſſiam referri.

Septuageſimus ſeptimus Pſalmus ad Meſſiam jure refertur, ex doctrina Ebræorum.

CAPUT XXXVIII.

Sermonum Jeſu vis & efficacia.

ISA. 11. 4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Iſa. 49. 2. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum.*

APOC. 1. 16. *De ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat.* Et 2. 12, 16.

Apoc. 19. 15, 21. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes: & ipſe reget eas in virga ferrea ...... Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius.*

CAPUT XXXIX.

Jeſus miranda facinora edit, & omnis generis languores ſanat.

PSALM. 4. 4. *Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum.*

Pſalm. 102. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Iſa. 42. 6, 7. *Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.*

Iſa. 53. 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.*

Iſa. 61. 1, & ſeq. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro: ut conſolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*

Ezech. 14. 15, 16. *Ego paſcam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, conſolidabo; & quod pingue & forte, cuſtodiam.*

MATTH. 4. 23, 24. *Et circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Et Matth. 9. 20, & ſeq. & 9. 35. & 11. 20. & 15. 22, & ſeq. & 21. 15. Marc. 1. 32, & ſeq. & 5. 2, & ſeq. & 6. 5. & 7. 25, & ſeq. & 7. 32, & ſeq. Luc. 4. 33, & ſeq. & 4. 40, 41. & 5. 18, & ſeq. & 8. 2, 27, & ſeq. & 9. 38, & ſeq. & 11. 14, & ſeq. & 13. 11, & ſeq. & 14. 2, & ſeq. Joh. 2. 1, & ſeq. & 4. 46, & ſeq. & 5. 5, & ſeq. & 6. 2. & ſæpiſſime in Evangeliis.

Matth. 8. 16, 17. *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem, Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit.*

Luc. 4. 17, & ſeq. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. Et ubi revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat, Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem re-*